DISPUTATIO INAUGURALIS

de

COLICA PASSIONE,

Quam

Divina aspirante gratia

ex

DECRETO ET JUSSU

Magnifici, Nobilissimi, &

Gratiosissimi Collegij, quod Basileæ est, Medici

Pro

SUMMIS IN ARTE SACRA HONORIBUS & Privilegiis solenniter capessendis

Publico examini subdit

ANTONIUS KÜNZLINUS

Vitoduranus

Ad diem 15. Novembris Anni 1671.

horis locisque ordinariis.



BASILEÆ, Typis JACOBI WERENFELSI.

VIRO

Nobilißimo, Amplißimo,
Prudentißimoq́;

DN. JOHANNI Steiner/
Urbis Vitoduranæ Prætori
meritiſſimo, Seni graviſſimo, avo
ſuo honoratiſſimo

Conſecrat

Cum omnigenæ felicitatis
apprecatione

ANTONIVS KVNZLINVS
Vitoduranus.



Thesis I.

Non tot Attica mella, littus algas,
Montes robora, ver habet colores,
Non tristis Hyems riget pruinis,
Autumnus gravidis tumet racemis,
Non tot Spicula Medicis pharetris,
Non tot signa micant jacente noctu,
Non tot æquora piscibus natantur,
Non aër tot aves habet serenus,
Non tot Oceano moventur undæ,
Non tantus numerus Libissæ arenæ;

quot infortunia, & morbi homines macerant, inspice Lector amice sola intestina. Quot quæso malis afficiuntur? Refrigerantur, inflammantur, obstruuntur, adstringuntur, comprimuntur, intorquentur, rumpuntur, ulcerantur, dolorem colicum patiuntur, & Iliacum (miserere mei dictum): præterea tardè dejiciunt, diarrhoëa, cœliaca passione, lienteria, dysenteria, aliisque cruentis & purulentis fluoribus affliguntur, ut & tenesmo, colliquatione, & vermibus teretibus latis & tenuibus. Summa tantus est numerus vitiorum harum tantùm partium, ut diu nescivèrim, quod mihi eligere velim publicæ disquisitioni offerendum. Tandem multas post cogitationes placuit frequens humani generis hostis truculentusque, Colica Passio scilicet, quâ laborantes ita torquentur, ut clamoribus omnia impleant, pue-

torumque more lugeant. De hac igitur impræſentiarum agam Theoreticè æque ac Practicè. Si quid erratum videbitur, aut id excuſabo, aut meliora docenti obtemperabo.

II.

Ad Theoriam Colicæ Paſſionis pertinent, Nomen, Definitio, Differentiæ, Pars affecta, Cauſæ, Diagnoſis & Prognoſis. Ut poſteriora prioribus non præponam, de his omnibus prius ſtatuam, quàm ad praxin veniam.

III.

Nomen ſuum Colica Paſſio ſortitur à parte affecta (inteſtino nempe Colo) de quo infrà plura. Meritò autem ſuam inde ſumit appellationem, tum quia alii affectus à partibus ſuis, quibus inhærent, denominantur, Phrenitis, Pleuritis, Peripneumonia, Hepatitis, Nephritis, Iliaca paſſio, &c. tùm imprimis, quia affectus à locis, quibus inſident, ſpecificantur.

IV.

Nominatur Paulo libr. 3 Cap. 45. Κωλικὴ διάθεσις. Fern. libr. 6. Pathol. 10. κωλικὴ ὀδύνη. Hipp. Lat. libr. 4. Cap. 14. Morbus plenioris inteſtini. Aliàs dolor colicus dicitur, dolor inteſtinorum κατ᾽ ἐξοχὴν, germanicè das Grimmen.

V.

Eſt autem Colica Paſſio, docente Capivaccio libr. 3. Cap. 30. triſtis & corrupta Senſatio inteſtini Coli à ſolutione unitatis dependens.

Vel eſt dolor in intima abdominis parte per intervalla ſævus admodùm, aliàs fixus & terebro perforanti

foranti vel palo infixo ſimilis ; aliàs per totum abdomen excrucians cum adſtrictione alvi, nauſea & vomitu.

Vel eſt dolor inteſtini Coli cum difficili exitu ſtercoris & flatuum. Hanc definitionem optimam & perfectiſſimam eſſe cenſeo. Conſtat enim ex genere proximo & differentia ſpecifica & ſymtomate inſeparabili. Genus proximum eſt dolor (ſymtoma in læſione tactus). Differentia ſpecifica, inteſtini Coli. Hôc enim verbô & conſtituitur Colica Paſſio & ab Iliaco dolore, nephritico & uterino, aliarumque omnium partium doloribus diſtinguitur. Difficilem exitum ſtercoris flatuumque eſſe individuum comitem ſignumque pathognomon. omnes novimus. Eſt etiam hæc definitio ideò laudanda, quia omnibus, quas jam dabo, differentiis competit.

VI.

Dixi antea, nomine inteſtini Coli excludi ex definitione omnes, omnium aliarum partium dolores, & inter hos Iliacos, nephriticos & uterinos. Id quidem eſt verum. Sed quatuor hi affectus maximam affinitatem & ſimilitudinem inter ſe habent, tantam, ut ſæpè alter alterum mentiatur, præſertim in initiis, & peritiſſimi interdum decipiantur Medici, quemadmodum ipſe Galenus fuit deceptus ; qui cùm crederet ſe à calculo in altero ureterum impacto dolore affici, injecto ſibi oleo rutaceo, graviſſimo cum dolore excrevit humorem vitreum (à Praxagora ſic appellatum) ſtatimque dolore ſedato cognovit neq; lapidem fuiſſe cauſam, neque in ureteribus aut renibus locum fuiſſe affectum; ſed in inteſtinis potiùs præcipuè in craſſioribus. Atqui ex Divino Plat. & Ariſt. præcepto rerum differentium ſimilitudi-

nes

nes quærendæ ſunt,& ſimilium differentiæ. In quo ergò differunt tam ſimiles dolores?

VII.

Ileus & Colica hôc differunt: In Ileo nauſea, vomitus, dolor omnia majora, quia tenue inteſtinum magis ſentit Colô. Quidam deſipiunt, convelluntur compatiente nervorum principio: planè nihil deſcendit ad inferiora, & ſi vehementius distorquentur, ſtercus aſcendit, Gal. de Ileo. In Colica accidentia non adeò ſæva ſunt, nec ſic mali moris. Deinde Ileus eſt vicinior umbilico, & medium ventris occupat, & magis ſurſùm vagatur: Colica potiùs in lateribus urget, quia Colon, in quo reſidet, tenuia inteſtina ambit, & ut Paulus inquit libr.3. Cap. 43. à dextra Iliorum parte oriens, in modum zonæ ad ſiniſtriorem excurrit, ut ægri nonnunquam ſe cingi & conſtringi putent, velut chordâ quâdam. His adde, quòd dolor Ilei magis fixus ſit, quàm Coli, ipſoque rarior.

VIII.

Plura à Nephritico dolore Colicum diſtinguere poſſunt; 1. In Nephritide fit mutatio doloris ex gravante in punctorium, calculo è Sede in caput ureteris illapſo: In Colica hæc mutatio non obſervatur; 2. Dolor nephriticus eſt acutior, ſenſumque exhibet aculei vel clavi infixi. 3. Stabilior, cùm Colicus ſæpè circuire ſentiatur. 4. Anguſtiorem locum occupat, Colicus è-contrà ampliorem. 5. Magis in dorſo hæret, & ad poſteriora vergit, conjunctamque habet difficultatem corpus flectendi & erigendi: Hic verò ad anteriora magis tendit. 6. aliqua ſemper adeſt mingendi difficul-

ta

tas, alvo fluente, cruris è directo stupor: In Colica magis fæces alvi retinentur fluente urina, & 7. In nephritico dolore tandem lapidem urina reddit vel arenam vel cruorem; Sed Colicâ laborans talia non emittit. 8. Dolor in loco renibus altiore manifestum Colicæ, non Nephritidis indicium præbet. His adjunge ægri propriam dispositionem & præcedentem victus rationem & tantò certior eris.

IX.

Quod dolorem uteri attinet, communicatur is nguinibus, coxis, & supra Ilia non ascendit, vaporesue suscitando præfocationem uteri post se trahit, uod in colica passione non fit, præcessit etiam parus vel mensium suppressio.

X.

Sunt insuper alii cruciatus, qui similitudine quaam & vehementiâ Colici dicuntur, quibus tamen on in colo intestino sedes est, sed in peritonæo, &c. de Clariss. Fern. libr. 6. Path. Cap. V.

XI.

Si forte contingat, ut adeò abstrusa sit res & inicata in principio, ut Medicus non possit esse cers, sit ne dolor Colicus vel nephriticus, vel alius ex ædictis, non tamen habent ægri, quòd sibi propter nc ignorantiam metuant, quia sunt ad omnes istos olores remedia communia Gal.

XII.

Sic Nominis rationem habere & affectum deire volui, eundemque à similibus distinguere; jam e ad differentias confero, & reliqua, quæ ad Theoriam

riam ſpectant: Differentiæ petuntur à parte affecta, à cauſis & doloris gradu. Ratione partis affectæ, exiſtit vel intra duas tunicas inteſtinorum, tum dolor eſt valdè acutus & pertinax, vel in cavitate, tum mitior & magis eſt obediens: item vel fixa & ſtabilis, vel vaga & inſtabilis.

XIII.

Ratione cauſarum dividi poteſt in frigidam, qualis pituitoſa (quâ Gal. 2. de locis affectis Cap. 5. ſe laborâſſe narrat. de qua ſupra in Theſi VI.) & flatulenta & quævis alia caloris expers: Vel calidam, quò pertinet bilioſa & quam inflammatio inteſtini invexit. Bilioſa malè habuit Heurnium Medicum, quem omnibus bonis commendo, ita enim loquitur ſuper Aphor. 1. libr. 1. Hipp. numero 7. *Colicus à frigidis ſuccis, rebus calidis verè fugatur; Colicus à bile natus à rerum calidarum accerima vi naſcitur. Qua fronte hic Empiria ab his medicinam faciet! Certò ſcio me his non me velle curandum dare, qui quoties raphanum vel piper comedi, ilicò in atrociſſimum dolorem colicum trahor, abſint à nobis illi, &c.*

XIV.

Ratione gradus doloris vel eſt vehemens & acuta vel remiſſa, & tantam vehementiam non habens, acuta iterum fuit illa Galeni. Nihil enim impedit, quo minus dolor acutiſſimus oriatur ex cauſa frigida. Quidam uſque adeò vehementem ſunt experti, ut vel animæ deliquiô comprehenſi mortui ſint, vel ſibi ipſis manus violentas intulerint Gal. ſec. de compoſit: med. per loc. Cap. 1.

XV. Pars

XV.

Pars affecta est Intestinum κῶλον, crassorum secundum, ἀπὸ τοῦ κολάζειν, i.e. à torquendo dictum, propter hunc ipsum dolorem, qui in eo fit. Vel (ut aliis placet) à κωλύω remoror, quòd ob varias cellulas fœces aliaque in eo remorentur; oritur à coeco, & ad renem dextrum, cui adhæret, sub hepate reflectitur, & convolutum sub ventriculi fundo progrediens à sinistris lieni tenuissimis membranis nectitur, moxque in posteriora flectens ad renem sinistrum, cui etiam alligatur, descendit, & postquam duos gyros fecit, in rectum desinit. Amplum est & laxum & pluribus extuberantiis seu cellulis donatum: ut esset flatuum & excrementi inutilis receptaculum, ne fœces assiduè excernere cogamur, propterea quoque ne impetu elabantur sursum primò fertur, deinde deorsum vergens iterum à sinistris prope finem ad superiora reflectitur, & hic loci gravissimi sunt dolores colici. Ad hujus ejusdem intestini principium Valvulam invenit Anno 79. Celeberr. Anat. Casp. Bauhinus, ὁ Μακαρίτης, (ex cujus institut. hæc mutuò sumpsi) datã à natura provida, ne excrementa ex gracilibus intestinis ad crassa delata, in alvi constipatione vel ventris compressione, quæ per musculos abdominis fit, in fœcum & fœtus exclusione, regurgitent.

XVI.

Causæ morborum sunt vel Internæ vel Externæ; Interna Conjuncta vel Antecedens. Illa immediatè & proximè morbo adhæret, & si posita ponat & sublata tollat, Continens συνεκτικὴ græcè appellatur. Continens causa Colicæ passionis est solu-

tio continui. Inteſtinum κῶλον namque non ante dolet, quàm exuperantia materiæ, quam anfractibus & ſinibus ſuis excipere poteſt variam, diſtorqueatur & tendatur & in tumorem attollatur vel erodatur.

XVII.

Hæc, προηγουμένη aliàs vocata, eſt propinquior vel remotior. Propinquiores Colicæ 4. recenſentur à Foreſto obſerv. lib. 21. obſ. 2. in Schol. Totidem in Fernel. inveniuntur loco citato. Primò humor craſſus & pituitoſus, qui intra duas tunicas receptus magno cruciatu divellit & lacerat.

XVIII.

Secundò Spiritus craſſus & flatulentus, qui ſi propter obſtructionem aliiſque de cauſis erumpere nequit, vi quoque inteſtinum diſtendit magno ſenſu doloris. Fern. eodem loco, cohibendi flatus conſuetudine non paucos diſſectione animadvertit, quibus dilatatum Κῶλον brachii amplitudinem adæquabat: Alios, quibus ex imo ventre flatus toto anfractu in ventriculum reſiliens ructu emittebatur, & quibus pro crepitu ructus erat: Alios quoque aliis ex cauſis hoc ſymptomate continenter affligi, ut his plures ructus quàm verba eſſent.

XIX.

Tertiò humor acer & mordax & verè bilioſus ſua qualitate infeſtus & vehementer affligens & erodens.

XX.

Quartò inflammatio (è qua pus in Colo interdum fieri ſòlet) quæ ſi in carne magnum dolorem tenſione caloreque infert, quantum excitabit in inteſtinis

testinis partibus membranaceis & acuto sensu prææditis?

XXI.

Præter jam dictas causas alia quoque notanda, quæ à Principe lib. 3. Fen. 16. tract. 3. c. 6. ponitur: *Nam fieri quandoque colicus dolor solet propter exiccatas & induratas fæces, quæ exiccari quidem ac diu retineri in intestinis ob multas possunt causas*; nimirum si vis expultrix infirma fuerit, vel medicamentis torpida reddita, vel privatione bilis, ut in Ictero, non irritetur, vel musculis ventris aut præcordiis percussis, vel frigore offensis, item ab aëre calido, à cibis assis, frixis, siccis, aromatibus, longa mora in iis, qui aliis rebus occupantur & sui obliviscuntur, porrò ob sudorem nimium & vehementia exercitia, ab hæmorrhoidibus, ulceribus, & apostematibus sphincteris, colli vesicæ & uteri, &c.

XXII.

Si quis autem quærat, cur fœces, quæ sunt in albo causarum externarum, hîc inseram, huic? respondeo hoc ideo à me factum, ut frequentiores colicæ causas simul redderem, ut Veteres imitarer: Deinde quia speciem causæ internæ ferunt, & suo respectu internæ nominari possunt, principaliter, quando ab interna causa retinentur & indurantur.

XXIII.

Ab herniis fieri nihil est novi.

XXIV.

Post has causas sequuntur aliæ internæ minùs frequentes: Vermes nimirum glomerati Colon infarcientes. Rusticum ex pago vulgo Coedyckio di-

cto non procul ab urbe Alcmaria patria ſua Foreſtus præ manibus habuit, qui ultra 30. vermes in colico dolore ejecit. Simile exemplum præbet Diana uxor lapicidæ apud Amatum Cent. 1. Cur. 33.

XXV.

Pariter lapides in inteſtinis geniti, oſſicula & grumi ſanguinis ex vulnere, &c. dolorem Colicum inducere poſſunt extendendo, continuum ſolvendo vel exitum ventoſitatum prohibendo. Gradus refert ſe in uxore Dom. Antonii de canibus Papiæ, in Colico dolore, qui nullo modo poterat curari, tandem lenientia medicamenta per clyſteres immiſiſſe & per os exhibuiſſe, quibus tres lapides magnos duriſſimos egeſſit, quorum quilibet fuit quantitatis unius ovi gallinacei, cinerei coloris, tanquam eſſent fæces induratæ.

XXVI.

Cauſa προηγουμένη remotior ea eſt, quæ in corpore exiſtens, craſſos & pituitoſos humores, vel ſalſos & bilioſos generat, vel flatus, genitosque fovet & auget, inq; inflammationem diſponit, hujuſmodi cauſa flatuum eſt caloris debilitas, inflammationis plethora.

XXVII.

Cauſæ externæ, ſunt multifarii errores in diæta; ambientis frigus, lapidi frigido inſidere, frigidos pedes habere. Sic frater Foreſti Theodorus, quotiescunque illi pedes frigebant, ſtatim colicum dolorem incurrebat.

XXVIII.

Cibi craſſi & adſtringentes, denſi & flatulenti, ſalſi

falſi & acres, facilè corruptibiles; ut ſunt, Caſtaneæ, glandes, ſiliquæ, legumina, caſeus, de quo Exemplum in Platero, melones, pepones, cucurbitæ, uvæ, omnesque fructus horarii. Huc ſpectant medicamenta acria & venenata: E.G. Scamoneum, de quo obſerv. vide in Foreſto lib. 21.

XXIX.

Hic in memoriam revocare placet exemplum ſine exemplo, quod Amicus communicavit Viri ſcil. Vinitoris civis Baſileenſis Rudi Dürr genannt / qui per multos annos quæſtus gratiâ, lacertas, ſerpentes, bufones, araneas, coria, ligna, lapides, cultros, clavos ferreos, abſurdiſſima & duriſſima quæque devoravit integra vel priùs in ore maſticata, tandem atrociſſimis doloribus tum Colicis tum pleuriticis correptus, diuque illis maceratus, tertio Jan. anno 1670. obiit miſerrimè, in cujus abdomine aperto Medici Baſileenſes duos cultros invenerunt, unum in principio Coli infixum pure abſconditum, alterum inferius in Sphinctere. Quis dubitabit, ex horum altero colica peſſima laboraſſe. Sic aliis alia abſurda nocuerunt.

XXX.

Aqua gelida idem facit, vinum aqua multa dilutum, vel ex uvis immaturis expreſſum, cerevisia non ſatis cocta & defœcata, pomaceum, piraceum recens.

XXXI.

De motu violento corporis ventre pleno, deque otio non oportet dubitare promovere Colicam: Ut nec de exceſſu ſomni & vigiliarum. De fœcum retentione jam dixi ſuprà, ubi ſimul indicavi, quid ſu-

dor nimius poſſit præſtare. Ex ira lanius in Colicum dolorum incidit. Plat. 2. obſerv. Ergo etiam animi pathemata multum huc conferunt.

XXXII.

Venio ad Diagnoſin & Prognoſin. Diagnoſis eſt rerum trium; affectus, partis affectæ & cauſæ. Signa affectus & partis affectæ ſunt eadem, depromi poſſunt ex ſuperioribus ex quinta ad undecimam uſque, ſuperſedeo igitur illa hîc repetere, & pergo ad ſigna cauſarum.

XXXIII.

Et hæc ſunt: ſi craſſa lentaque pituita, qualis eſt vitrea, dolorem parit, inteſtino adhæreſcit & ipſum corrodit, dilacerat, atque in id plerumque perforantis terebelli more ſe infigit. Hic dolor ſæpè fixus eſt, & altè excruciat, nauſeam & pituitæ vomitionem ciet: neque ructibus neque flatibus emiſſis demulcetur: habuitque originem à crapula & otio aliisque ſimilibus, quæ cruditatem craſſumque humorem progignunt. Fern. ſæpius citato loco.

XXXIV.

Flatulentus dolor colicus ventrem diſtendit, vagus & inſtabilis eſt in variasque ventris ſedes ſe contorquet: Flatus ſæpius rugire & obmurmurare obauditur, & arctè concluſus, nec ab ore nec ab alvo erumpit: Hunc cauſæ flatus effectrices præceſsêre, diſcutientibus manifeſtè juvatur.

XXXV.

Ab acri bilioſoque humore quiſquis ortus fuerit dolor colicus, fixus etiam eſt, ſed cum febricula ardore, ſiti, vigiliis: irritatur eſculentis potulentisque ca-

que calidioribus, a quibus etiam ſumpſit originem; his adde, quæ præceſſerunt & ægri temperamentum.

XXXVI.

Inflammatio eadem ſymtomata efficit ſed magis intenſa, fervorem in parte affecta, continuam non ignavam, ſitim majorem, bilis vomitum, qui nihil levat malum, cum urinæ & fœcum retentione, ab aliis cauſis tantùm fœces ſubſiſtunt.

XXXVII.

Eſſe à fœcibus retentis & exiccatis, ex ægri relatione cognoſcitur, ſi diu non dejecit propter cauſas allegatas.

XXXVIII.

Herniæ oculis objiciuntur.

XXXIX.

Vermes ſua propria indicia habent, vide Bruel. de vermibus.

XL.

Calculi in inteſtinis geniti nulla arte cognoſci poſſunt, niſi forte pondere & aliorum ſignorum abſentia, & ægrotus antea à ſe excretos viderit. Sed ſanguinem grumefactum indicabit Vulnus, &c.

XLI.

Cauſæ externæ & primitivæ ex ægri vel adſtantium narratione habentur, ſi interrogantur de prægreſſa diæta. Hoc modo etiam venimus in cognitionem cauſæ antecedentis remotæ.

XLII.

Prognoſis eſt de eventu & malis, in quæ Colica

mutari

mutari poteſt. Tranſit autem aliquando in Paralyſin.

XLIII.

Aliàs rumpuntur inteſtina & fiunt ægri, ſicut Hydropici,& fœtent & moriuntur.

XLIV.

Lienteria poſt colicam etiam lethalis, vi digeſtiva & retentiva ablata.

XLV.

Singultus,ſyncope,palpitatio cordis,mentis perturbatio & convulſio à Coli dolore,omnia mala. Veniunt autem hæc à fœtore & dolore & μεταςάσει materiæ.

XLVI.

Deſinit nonnunquam in rupturam peritonæi & facit herniam, ſicut hernia Colicam.

XLVII.

Colica flatulenta magna ex parte curabilis,modò non prolongetur, tunc enim abit in tympanitidem.

XLVIII.

Colica pituitoſa contumax admodùm,præſertim intra tunicas hærens.

XLIX.

Quæ ex inflammatione originem duxit,atrociſſima pariter & periculoſiſſima. Mitior paulò quam bilioſi humores produxerunt.

L.

A vermibus, curatu facilis.

A la

LI.

A lapidibus pertinax, quia pondere suo quiescunt in cellulis.

LII.

Si stranguria supervenit dolori colico septimo die intereunt, nisi copiosè urina fluxerit.

LIII.

Conclamatum est, si alvus ex toto suppressa, & vomitus perseverat, & fœdi ructus & excrementa per os erumpunt, & tormina crudelia antecedunt, & sudores frigidi & animi defectus superveniunt.

LIV.

Atque hæc etiam de signis & prædictionibus totaque cognitione sufficiant, pergo ad curam, quæ facilis jam esse potest, sicut ex adverso

Ignoti nulla est curatio morbi.

Sed hoc in antecessum volo monitum, ut Colica celeriter, quoad fieri possit, curetur, quoniam ab omni arte aliena est comperendinatio, omnisq; hujus mali procrastinatio vitæ infert periculum. Præmoneo autem magis ægros, quorum culpa frequenter ἐυκαιρία elabitur, & morbus altas radices agit, viresque sumit, quàm Medicos bonos, fideles & Deum timentes, quorum officium est citò curare, quantum in ipsis situm.

LV.

Est autem Cura duplex, una à causa ad effectus, altera ab effectu ad causam, illam nominant ordinariam & rectam, hanc extraordinariam & coactam; quippe quâ non utimur nisi coacti Symtomatis ur-

gentia:& quia passio præsens est dolor ventris sævus & intolerabilis & per consequens urgentissimum Symptoma, cogor extraordinariè procedere, & primò omnium doloris mitigationi incumbere, & postea causæ ablationi studere.

LVI.

Arripiantur ergo statim anodyna ita postulante Symptomate, laxantia & lenientia, quibus deliniatur & demulceatur dolor, interna & externa. Fiat initiũ à Clystere ex radice lilior. herb. 5. emoll. fl camomill. sem. lini in aqua vel lacte coctis, addito oleo camomel. melle, vitello ovi & sale. Sed cur à Clystere cura inchoanda? Quia fæces eluit & dolorem sedando aliquid simul de causa eximit, addo quòd Colicus magis per injecta quàm assumpta secus quàm Ileus curetur.

LVII.

Et quare urgente dolore non forti clystere uteris ex benedict. laxat. &c? Postea locum habere potest dolore priùs sedato per blanda, nunc ejus usus omnino periculosus & prohibitus.

LVIII.

Rejecto Clystere sumat æger haustum ol. oliv. vel amygd. dulc. cum modico Sacchari.

LIX.

Dum hæc fiunt, externa applicentur, liniatur venter Ol. camomill aneth. vel Ung. de alth, aut resumpt. Fern: vel Sacculi imponantur ex fl. camomill. melil. verbasc. in sartagine calefacti & irrigati vino: vel panis tritic. medioc. coctus adhuc calens: vel ℞. residentiam decocti pro clystere, contunde & trajice

trajice per ſetaceum, & addita far. trit. & ol. lumbr. vel lilior. fiat cataplaſma, in linteo calidè admovendum.

LX.

His ad doloris mitigationem præmiſſis & ſi opus repetitis ad cauſæ ablationem feſtinandum eſt. Humor craſſius frigidus & pituitoſus, incidentia requirit, extenuantia & detergentia, quæ moderatè calefaciant, quibus præparetur, ut poſtea expurgari poſſit. Clyſteri ergo ſecundo & ſequenti addantur fol. hyſſop. laur. major. menth. meliſſ. orig. puleg. &c. ol. commune in quo ruta ſit incocta, hiera picra Gal. bened. laxat. &c. Ore capiat Syr. de duabus, de quinque rad., de ſtœch., conſerv. cort. citr. ex aqua menth. meliſſ. aliisque idoneis. Corpore decenter præparato purgetur pil. de agaric. de aloë, de hiera cum agarico, vel ℞. med. ſem. carth. ℥ß. ſampſ. cinam. garryoph. ana ʒj. coque in jure galli veteris & collaturam propina.

LXI.

Præter hæc quæritur, ſi vomitus poſſit prodeſſe? Negatur. Quin imò in quavis cauſa noxius eſt, excepta illa Colica, quæ poſt ſumptum cibum fit, vel medicamentum acre.

LXII.

Sed quid de Narcoticis judicas? Quemadmodum in cauſa calida non ſatis laudari poſſunt aliis fruſtrà adhibitis, ita in frigida hæc vituperantur, niſi quis ita corrigere poſſit, ut nil noceant.

LXIII.

Commendo in eadem cauſa Theriacam ex vino, Vinum Hipp. allium Ruſticis benefecit.

LXIV.

Castoreum ex vini pauxillo omnino præstans remedium. Etiam topica suprascripta juvant, vel insessus, semicupia, balnea parentur ex herbis idoneis; & in egressu ægrotus ungatur.

LXV.

Si spiritus flatuosus doloris author fuerit, iisdem planè medicamentis utendum, nisi quod clyst. & topicis addi debeant, quæ flatus magis discutiunt, qualia sunt illa in Thesi 61. fol. laur. major. orig. puleg. item calaminth. thymi, cort. arantior, fl. cent. min. baccæ lauri & junip. Topicum egregium est emplast. de bacc. lauri. Internè præterea conducunt aqua vitæ, cinam. spir. anisi.

LXVI.

Vbi dolor nimiùm urget à flatibus, cucurbita cum multa flamma subinde loco dolenti affixa juvat. *Videbitur tibi præsidium hoc in hujusmodi affectibus incantamenti cujusdam simile quid efficere, sive in intestinis, sive in alia quavis particula fuerit excitatus.* Gal. XII. Meth. medend.

LXVII.

At quando biliosi & mordaces humores dolorem faciunt, Clyst. injiciantur refrig. acrimonia temperetur decoct. hord. pro potu ordin: Julepis item frig. Emuls. ex quatuor sem. frig. Oleis blandis, jusc. pinguibus. Sic epicerasticis mitigati educantur infus. Cass. vel Rhab. in aqua endiv. cum syr. ros. sol. simplici.

LXVIII.

Aqua frigida mirè profuit in Uxore CENTURI-

ONIS

onis Genuensis. Amatus Cent.1. Curat.?. & in filio Falconis. Idem Cent.1. Curat.58. Et cur non profuisset?

LXIX.

Si his non curetur ad Narcotica veniendum, gr. unum aut alterum Laudani Opiati, externis non neglectis.

LXX.

Vbi inflammatio metuenda, fœcibus Clyst. refrig. eductis vena secetur. In cœteris pergatur, ut in causa biliosa. Quando sic non potuit impediri & ad suppurationem venit, & abcessus est ruptus, tractatur ut ulcus internum. Interim applica topica ex mitioribus.

LXXI.

Fæces retentas & induratas emolliet, attrahetque Clyster ex ol. communi, ex hydrelæo, mulsa aut qui recipit juris carnium pinguis ℥ix. Ol. olivar. & mellis mercur. ana ℥j ß. salis commun. ʒj. Bibat æger jura pinguia, jus Galli vet. in quo ℥j. polyp. querc. fuit cocta, prunisve utatur dulcibus cum foliis sennæ coctis. Ol. amygd. dulc. bibitum, injectum & admotum laudabile. Si frustrà, repete Clyst. adde pulpam Cass. rec. extract. ad ℥j. &c. Si omnibus modis nil efficere potes, utere folle fabrili (modò absit febris & inflammatio) Accommodatur autem usus ipsius in hunc modum: Canalem medicum folli fabrili adaptato, & cùm hæc feceris, ipsum aperito, quousque totum spiritu repletum conspexeris, atque tum demum spiritum emittito utre compresso. Post hæc ex hydrelæo & momento nitri Clysterem mox in-

injicies. Nam omnia, quæ in ventre & in inteſtinis continentur unà cum Clyſt. evacuabuntur ut admireris.

LXXII.

Colico dolori à rupto peritonæo ſic medendum: Inteſtinum reponendum, ſi non poſſit, ſtercore indurato vel flatu impediente, Clyſt. adhibendi & fotus ad relaxationem & ventoſitatem reſolvendam applicandi cum ſpongiis. Deinde compreſſo inteſtino manibus leviter impulſo & reducto, plumaceolus vino ſtyptico vel decocto balauſt. nuc. cupr. gall. imbutus ſuperligandus, etiam impoſito emplaſt. contra rupturam & adhibito apto ſubligaculo.

LXXIII.

Colica à vermibus curatur ut vermes, Diaturb. cum Rhab. Infuſ. rhab. & ſem. cynæ cum ſyr. de fl. perſic: externè ol. rutac. & abſynth.

LXXIV.

Lapides aliaque corpora dura, cedunt quoque lenientibus & laxantibus, vide Gradum.

LXXV.

Grumos ſanguinis elicit Clyſt. extergens ex decocto hordei & furfuris adjecto oxymel. ſimpl. Si vulnus adeſt, decenter obligetut.

LXXVI.

Tandem ſi cui Colica concitetur, ex Scammon. vel ſimili medicamento acri aut veneno, huic utile fuerit, ſtatim omnium primò vomere beneficio aquæ tepidæ & ol. ſeſam. vel amygd. dulc. deinde confertim bibere juſcula pinguia, lac, lac amygdalinum

num tenue, decoct. hord. cum ſyr. rib. Ther. recentem prodeſſe nemo negabit.

LXXVII.

Sic quidem ex Pharm. & Chirurgia pro ratione indicationum utilia remedia produxi, ſed nondum ſufficit, oportet quoque diætâ vires reſtaurare, quæ doloris vehementiâ multùm atteruntur. Attemperari autem debet diæta cauſæ. In cauſa frigida & flatulenta, victus ſit calefaciens, attenuans, ex cibis coctu facilibus, boni ſucci, minimè flatulentis & glutinoſis.

LXXVIII.

Convenit vinum generoſum.

LXXIX.

Econtra in cauſa calida & φλεγμονώδει cibus & potus ſit frigidus & humidus.

LXXX.

Quod reliquas res nonnaturales attinet. Aër ſit moderatè calidus: ſomni & vigiliarum moderamen, vel ſomnus paulò longior: pariter de motu & quiete ſtatuendum. Nam quies exercitiis melior. Excrementa naturalia naturaliter quoque ſe habeanr. Quod de quiete corporis dixi, eſt quoque intelligendum de quiete animi. Paſſionum enim animi immoderatione, ut nihil aliud, ita nec Colica emendatur.

GLORIA TRIVNO.